





Q. D. B. V.

1

DISSERTATIO
De
ACQUISITIONE
ERUDITIONIS,

quam
ad studia Academica digressurus,

SUB PRÆSIDIO
M. Gottfried Hoffmanns/
Lycei Laub. Rect.

Ad 29 Martii Anno M. DCC. VIII.
finitis Sacris matutinis

Loco Speciminis Valedictorii

ventilandam proponet

A. & R.

Michael Ehrensried Grause/
Neostad. Misn.

L A U B Æ,

Excudebat JOHANNES CHRISTIANUS Stremel.



V I R O

Summè Reverendo, Amplissimo atque Doctissimo,

DN. M. NICOLAO HAAS,

Theologo magnis in Ecclesiam meritis inclyto, Ecclesiæ Evangelicæ Budissinensis Pastori Primario dignissimo, rerumq; Scholasticarum Inspectori vigilantissimo,

nec non

V I R O

Nobilissimo, Spectatissimo atque Prudentissimo,

DN. Ghrenfried LEONHARDI,

Reipubl. Lauban. Senatori gravissimo & Mercatori famigeratissimo,

**PATRONIS SUIS OPTIMIS HAS STUDIORUM PRIMITI-
TIAS SCHOLASTICAS h. e. TENUES ATQVE
IMMATURAS**

**In devotissimi animi pignus submissè offert, seqve ulter-
riori patrocinio commendat**

A. & R.





Argumentum.

IN statu innocentiae nulla erat eruditionis acquisitio §. 1. sed hodiè indigemus eâ ob ruditatem lapsu contractam §. 2. 3. 4. imò ad eam obligamur jure Naturæ & divino §. 5. Transitur ad Tractationem, quæ completitur I.) Acquisitionis Obj. s. ipsam Eruditionem §. 6. cujus notatur descriptio §. 7. divisio in Primariam & Secundariam §. 8. utriusque differentia §. 9. atque nexus §. 10. II. Secundaria est vel vera §. 12. 13. vel falsa §. 14. Quorsum referenda Eruditio jucunda & gloriosa? §. 15. quorsum linguæ? §. 16. II.) Subjectum §. 17. cujus rudititas §. 18. habilitas §. 19. quæ consistit a) in naturali intellectus capacitate §. 20. quæ sub se comprehendit, judicium, ingenium & memoriam §. 21. circa hanc capacitatem magna emergit diversitas §. 22. unde oriatur? §. 23. tres ejus classes §. 24. Hujus diversitatis consequens §. 25. quæ sit optima? §. 26. evehi potest culturâ §. 27. sed prudenter instituendâ. §. 28. ß) In cupiditate discendi §. 29. quæ sit naturalis, vera & indistracta §. 30. γ) In corporis firmitate §. 31. An hæc Theologo sufficiat? §. 32. III.) Formam quæ ponitur in legitimâ usurpatione mediorum, quæ sunt a) vel primaria, inter quæ 1. nominis divini invocatio §. 34. hac usi quomodo à cæteris differant? §. 35. 2. industria, quæ in solâ meditatione olim consistebat §. 36. postea cum auscultatione conjungebatur §. 37. Tandem adjecta fuit librorum lectio §. 38. Hæ industriæ partes hodie adhuc obtinent §. 39. sed nobilissima est meditatio §. 40. quæ sit ordinata §. 41. fervida §. 42. prudens §. 43. Non omittenda tamen auscultatio §. 44. sed sit

neque servilis §. 45. neque affectatè scrupulosa §. 46. Et lectio librorum quoque est necessaria §. 47. sed selectissimorum §. 48. quem usum habeat? §. 49. Ad eam requiruntur lingvæ §. 50. b) Secundaria, & quidem exercitatio §. 51. Experientia §. 52. Doctorum conversatio §. 53. IV.) Impedimenta sunt vel a) intellectus 54. 55. præjudicii varia significatio 56. oriuntur ex nimia diffidentia & confidentia 57. Nimia confidentia est 1) vel sui & parit alia præjudicia 59. 59. in aliis major, in aliis minor 60. vel 2) in aliis posita 61. quando & unde oriatur 62. medicina ejus 63. Diffidentia etiam dividitur 64. hujus medicina 65. vel b) Voluntatis quæ animi passiones sunt sed prædominantes 66. 67. & quidem in specie ambitio 68. voluptas 69. avaritia 70.

* * * * *
§. I.

Adamo nondum serpentis astu decepto divina imago, quam exprimebat, solidam rerum divinarum pariter ac humanarum cognitionem pandebat. Et proinde absente omni *ruditate* aberat quoque *Eruditionis* acquisitio.

§. 2. Sed tristem illum lapsum stupenda rerum vicissitudo insecuta fuit. Intellectum hominis, extincto lumine, errorum tenebræ ad eum deformabant, ut caligine undique circumfusus ad veritatis lucem eniti non posset; Voluntatem verò statim, amisâ pristinâ rectitudine non extrema tantum in bonis impotentia corripuit, sed summa quoque ad prava insedit facilitas. Unde simul in corpus præpostera confusio, miseria aliaque morborum semina descenderunt.

§. 3. Et has mentis depravationes inter se mutuum quasi vinculum connectit. Intellectus enim ruditatem comitatur semper augetque & propensio ad errores, spretâ veritate, fovendos, & infana pravorum motuum obliquitas viceque versa. Ex quo haud obscure efficitur, intellectui integritatem suam non incompositâ voluntate, nec voluntati rectitudinem impolito intellectu constare posse.

§. 4. Et sic humanæ mentes agris horridis æquiparandæ veniunt, qui

qui

qui salutarium frugum steriles, nihil præter earduos tribulosque produ-
cunt, nisi industrius accedat cultor, qui vomere istos subigat, & ad red-
dendam messem, semine indito præparet.

§. 5. Sed quoniam in hac ruditatis miseriâ homines ad præstanda
officia, quæ & Deo & humanæ Societatis conservationi debent, essent
planè inidonei: proinde jure naturæ pariter atque divino obligantur,
ut huic malo sufficientem accersant medicinam, h. e. *eruditionem* sibi
acquirant.

§. 6. Et hanc ipsam *Eruditionis acquisitionem* pro virium mo-
dulo excutere constitui, breviter contemplaturus ipsius *Objectum*,
Subjectum, *Formam* & *Impedimenta*. Postquam ERUDITIO-
NIS COMMUNICATIONEM Svavisimus Commilito suæ dissertatio-
nis argumentum esse voluit.

§. 7. Quod ad *Objectum* igitur hujus *Acquisitionis* pertinet, est
illud ipsa acqvirenda Eruditio, quæ, si nativum vocis significatum sequi-
mur, indigitat actionem, quæ rudi indigestæque materiæ nova atque po-
lita inducitur forma, eo fine, ut ad usus debitos ritè sit accommodata.
Et sic Eruditio ad animum translata innuit culturam animi, quæ ille sua
ruditate depositâ ad veri boniq; cognitionem atque exercitationem in-
struitur, ut scopum, ad quem natus est, ritè assequatur. Ut verò omnis
tollatur ambiguitas, obiter monendum est, in seusu dispari Eruditionis
vocem vulgò accipi. Mox enim ipsam erudiendi actionem, mox com-
paratum inde habitum, significat. Illa est cultura animi, hic verò ejus-
dem cultus nuncupari potest.

§. 8. Cæterum duplex & à se invicem diversum est principium, ex
quo omnis deducitur Eruditio. *Ratio* nimirum atque *Revelatio*. Et
quia hæc illam præstantiâ utilitate atque evidentiâ longissimè post se re-
linquit; proinde ex revelatione deducta Eruditio commodè *Prima-*
ria; altera ex ratione petita *Secundaria* dici poterit. Illa vocabulo
usu recepto *Theologia*; hæc *Philosophia*, sed in sensu latissimo, ap-
pellatur.

§. 9. Sicuti autem aliàs in omni scientiâ divulsio æqvè nocet atque
confusio; ita quoque hic serio & de discrimine, quod inter utramque
intercedit, & de reciproco utriusq; nexu disqvirendum est, ne ob propin-
quum confinium alterutrius limites vel diffundantur latius vel angu-
stius

8.
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40

stius iusto circumscribantur. Differunt autem 1. ipso cognoscendi principio. Illa enim ex solo gratiæ hæc ex naturæ lumine addiscitur. 2. Objecto. Illa circa res divinas atque æternas; hæc circa res naturales, sensibus obvias citoque perituras occupatur. 3. Forma. Illa verè potest mentem corrigere & non speciosâ tantum incrustare scientia; hæc incipit modo ad perfectam divini simulacri restitutionem non suffectura. 4. Fine. Illa felicissimam cum Deo conjunctionem intendit; hæc temporariam hominis felicitatem promovisse contenta altius non assurgit, sed hominem in æternitatis limine destituit.

§. 10. Ex quibus colligitur, quam præstantior Theologia sit Philosophiâ, quamque mutila, manca & dilacerata Secundaria ista Eruditio sit, nisi Primariæ radiis coruscet, eaque duce atque comite utatur. Inde vero non concluditur, alteram alteri refragari & non salvis utriusque terminis copulari posse, si famulatio contenta Philosophia ad imperium non aspiret. Evidens potius est, Theologum, qui à genuino naturalis luminis usu recessit, variis implicari difficultatibus; sicuti è contrario illas feliciter evadit, qui suavissimo connubio utramque scit connectere.

§. 11. Sic Theologiæ famulatur Logica, sed non ita, ut divina rimeretur mysteria, in quibus omnino fatuatur ratio, sed ut intellectui facem præferat, naturalem in pervidendis rebus confusionem tollat, erroneas conclusionum detorsiones, quas quandoque adversarii adhibent, detegat, & falsæ interpretationis avia, quoad ejus fieri potest, præcludat. Eundem in modum nec subsidiariam Ethices operam aspernatur Theologia. Ipsa quidem ex uberrimo suo penu promit media, quibus mentis humanæ sanitas in integrum restitui debet: Quæ tamen Ethica peculiari ratione hominem ad sui cognitionem manuducit, ostendendo in individuo, quæ propria cuique sit miseriarum species, facile assentitur Theologia, ut medicinæ ex se præparatæ applicationem Philosophia moralis dirigat.

§. 12. Porro Ratio in duplici statu potest considerari. Est enim vel sana & affectuum tyrannide libera, vel ægra & præjudiciis affectibusque obsita, cum quibus indignum in modum ita sæpe coalescit, ut sensuum jussui obsequiosa novas ideas pro lubitu fingat atque refingat. Qui igitur sanam in acqvirendæ Eruditionis instrumentum utitur, sanam quoque ac veram, qui secus, ægram atque falsam, sibi comparat doctrinam.

§. 13. Per Eruditionem veram intelligimus istam, quæ vere ad scopum

pum

pūm, h. e. ad summū bonū, quod in veritatis cognitione virtutisque exercitio ponitur, tendit. Involvit hæc suo ambitu omnes scientias natura cognoscibiles v. g. Logicam, quæ ad veritatis cognitionem adiutum recludit: Ethicam, quæ animum recti notitiâ imbutum virtutis amore utcunqve accendit, & ad ejus exercitium invitat, imprimis vero ad sui cognitionem ducit. Et ne veritatis acquisitionem virtutisque exercitium morbi retardent, cavet Physica atqve Medicina: ista sanitatem fartam tectam conservando; hæc si amissa fuerit, restituendo. Ne quoqve extrinsecus aliquid accidat, quod summi Boni possessionem nobis eripere possit, suo præsidio efficit Politica, Jurisprudencia & ex parte etiam Mathefis. Et quia omnium harum Disciplinarum illustrationi inservit Historia, declarando, quod prisca etiam ætas tulerit, qui ad eundem nobiscum scopum collimaverint; hinc & ea in veræ Eruditionis censum venit. Tandem Oeconomia, Arithmetica, aliæqve Matheleos partes subministrant subsidia, quibus fortunæ dotes acquirere, acquisitasqve tueri commodè possumus.

§. 14. Falsa Eruditio est, cum quis circa nugas difficiles, ineptas atque inutiles occupatur. Sic Artiwodorus passim a doctis notatur, qui omnem vitam, non sine multorum itinerum tædio, in solâ Onirocriticâ exhaustit. 2. Cum quis disciplinas cætero, quin utiles expendit, in iis vero ita tantum versatur, ut corrasâ rerum doctarum farragine famam, otium atqve divitias lucretur citra sui aliorumque correctionem.

§. 15. His præsuppositis facilè colligi poterit, quorsum scientiæ, ut vocantur, delectabiles atque gloriosæ referri mereantur. Scilicet istæ cohibent mentem, ut secum habitare discat, attentionem ejus acuunt, & seriis lassatam studiis reficiunt, ut videre licet in Historiâ, Optica magnâque Physices parte; Hæ efficiunt, ut utili nostræ veræq; Eruditioni officina aperiatur. Sed accurata adhibenda est cautio, ne missis utilibus his solis immoremur, & vel in otio literario, vel in nudis externis, omnem vitam perdamus. Is enim non modo otiosus est, qui ab omni labore cessat, sed ille quoque, qui *παρέεργοις* meris inhæret.

§. 16. Ad linguarum studia quod attinet, non quidem in se Eruditionis pars dici possunt; interim tamen summè sunt necessaria, non tantum ad Eruditionis acquisitionem, sed & communicationem, ut intra fusius exponetur. Et hæc sufficiant de Acquisitionis Objecto.

§. 17. Or-

8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.

§. 17. Ordo, quem sequi nobis placuit, ad Acquisitionis hujus *Sub-
jectum* nos devolvit. Est autem *Subiectum quod* homo necessaria
habilitate instructus; *Subiectum quo remotum* ipsius anima; *pro-
ximum* Intellectus ad veri cognitionem instruendus, & voluntas ad
recti executionem instiganda.

§. 18. Omnis autem acquisitio rei adesse debite absentiam præsup-
ponit; proinde paucis hic ruditatis status in Subjecti consideratione ef-
fet evolvens. Sed eum §. 2. 3. 4. supra attigimus; quare illius repe-
titione superse debimus, hoc adjecisse contenti, ruditatem in homine non
tantum in veri rectique absentia sed & in actuosa falli pravique presentia
consistere.

§. 19. Sicuti autem aurum rude, quod ex terræ venis effoditur, ha-
bilitate quadam est dotatum, illam formam, ad quam ab aurifabro effin-
gitur, recipiendi: ita quoque DEUS humanis mentibus inesse voluit ta-
lem capacitatem, quæ culturæ est patiens atque habilis, rationem nimi-
rum, quam alii simulacri divini rudera, alii prævenientis gratiæ primitias
salutant.

§. 20. Ut igitur paucis multa complectar, ad Subjectum verè habi-
le requiritur, 1. naturalis intellectus capacitas, 2. vera, minusque asciti-
tia voluntatis cupiditas, 3. suppetias quasi utriq; affert inconvulsa cor-
poris firmitas.

T
|
§. 21. Naturalis Intellectus capacitas in tres animi facultates de-
nuò dispescitur *Ingenium* nimirum, *Judicium* & *Memoriam*. *Ju-
dicium* est humanæ mentis vis, quæ Ideas sibi per sensus oblatas distin-
ctèque perceptas comparat inter se, consentaneas jungit, dissentaneas à
se removet, tandemque ex uno principio alias veritates derivat, easque
cum eo connectit. *Ingenium* est itidem Intellectus facultas, quæ Ide-
as alacri facilitate format, formatasque ope judicii argutè componit, di-
vidit & mutat. *Memoria* tandem est vis animi, quæ res ab ingenio
vel judicio compositas veluti custos excipit, asservat, & quoties requiri-
tur, bonâ fide promit.

L
|
§. 22. Quamvis autem provida Natura secundum essentiam intelle-
ctum omnibus æqualem indiderit, nemoq; præ altero quâdam prærogati-
vâ gloriari possit; secundum gradus tamen magna emergit diversitas, a-
liis agili, aliis obtuso, aliis mediocri obtingente, prout eum liberrima
Grea-

Creatoris voluntas per corporea organa disposuit. Et proinde quoque naturalis ista capacitas in aliis exigua, in aliis eximia, in aliis admiranda reperitur.

§. 23. Præcipua tamen hujus capacitatis differentia dependet 1. ab *ætate*. Sic in pueris judicii impotentia undique elucescit, quæ verò corroboratâ ætate, sensim imminuta, culturæ ope ad summam sæpe affurgit præstantiam. Contrâ ætas puerilis mirâ memoriæ tenacitate commendatur, quæ vero maturefcentibus annis, siccatoque cerebro plerumque in morosam definit hebetudinem. 2. A *Sexu*. Hinc plerumque in sexu sequiori judicii notatur imbecillitas. 3. A *Temperamento*. Sic in Cholericis judicii sublimitas, in Sanguineo amœna atque arguta ingenii facilitas, in Melancholico memoriæ excellentia spectatur. 4. A *natione*. Sic Gallis communi suffragio præstantissimi ingenii felicitas, & judicii penuria, Hispanis judicii sublimitas, ingenique defectus tribui solet.

§. 24. Ad tres Classes verò omnium ingeniorum diversitas commode revocari potest, ut prima inhabilia, secunda mediocria, tertia excellentia sub se comprehendat. In prima ut sunt miserrima, ita quoque rarissima, dum omnibus saltem una ex recensitis facultatibus intra mediocritatem obtigit. Secunda complectitur mediocria, h. e. in quibus vel judicii, vel ingenii, vel memoriæ vis in excellentiori gradu se exerit, cæteris supra mediocritatem non assurgentibus. Tertia tandem mera Excellentia sistit, h. e. talia, in quibus conjunctim omnes facultates in pari præstantiæ gradu conspiciuntur.

§. 25. Ex his probè intellectis consequitur, alterum altero ad certum eruditionis ordinem esse naturâ accommodatiorem. Sic illi, in quibus ingenii vigor emicat, ad eloquentiæ & Poëseos culturam innato quasi impetu feruntur; cum è contrario illi, qui majori pollent judicio, ad Sapientiæ divinæ & humanæ adyta, sunt manuducendi. Quis ergo non videt, accurato scrutinio prius vires ingenii excutiendas esse, quam nos certo Eruditionis generi addicamus?

§. 26. Inter Facultates autem expositas Judicium omninò primas tenet, quoniam eo in *eruditionis acquisitione* nullus carere potest. Nec obstat, quod veritas per se una sit, simplex, plana, sibiq; optime constans. Est omnino, sed errorum coloribus atque fallaciis ita investiri potest, ut

in ejusmodi nodis Gordiis frustra luctetur, qui non secum judicii acumen affert.

§. 27. Coeterum hæc naturalis capacitas doctrinæ dexteritate, ususque solertia, ad altius fastigium evehi potest atque debet. Hinc non est, cur hebetiores despondeant animum, si ipsis non verca natura contigerit; imprimis cum ingenii igniculi sæpius veluti in saxis lateant, qui postea assiduo studio elicti in magnam flammam coalescunt.

§. 28. Quoniam autem, ut jam diximus, judicii vires majoris sunt faciendæ, quam coeterarum facultatum; sequitur etiam in cultura animi ita curas esse dividendas, ne plus memoriæ, quam judicio, destinemus. Licet enim non dixerim, omnem memoriæ cultum esse abjiciendum, dum satis constat, eam quiete atque cessatione mutari subinde in pejus, æruginæque obduci: Illi tamen quoque præposteræ confusionis absolvi nequeunt, qui studiosius memoriæ expoliendæ invigilant, quam judicio, nescii aut obliviosi, judicii micam memoriæ ponderi esse præferendam, judicii que vires vehementem in modum infringi, si res multæ anxie & verbotenus memoriæ commendentur dicam an infarciantur? Medii tutissimi ibunt.

§. 29. Et quamvis omni ætate largus semper ingeniorum provenus fuerit; pauci tamen ad veram solidamque doctrinam pervenerunt, quia altero habitatis membro destituti fuerunt. Est illud *naturalis, vera & indistricta proficiendi cupiditas*, qua absente, vel excellentissimi ingenii vires langvent, turpique otio atteruntur.

§. 30. Sed dixi notanter, (1) *naturalem*, quia a naturæ quodam instinctu proficisci debet. Et sanè in sciscitando hoc instinctu eo majori opus est sagacitate, quo abstrusius latet quandoque, & quo facilius nobis non animadvertentibus aliquid obrepere potest, quod ejusmodi instinctum simulet. Appellavi (2) *veram*, ut ab ea excluderem omnem eam cupiditatem, quam incauti parentes spe honorum, opum atque voluptatum in liberis accendant, imitati Ciceronis exemplum, qui satis arroganter suum Marcum admonet: *Sustines non parvam spem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse Nominis.* (lib. 3. de Offic. cap. 2.) Et hæc mihi videtur unica causa, cur multi, quamvis de eo seriò meditentur, scrutando assequi nequeant, quibus studiis sunt initiandi. Parentes enim ipsis adhuc pueris quodam

dam

dam studium magnis honorum atque divitiarum pollicitationibus fecerunt amabile, illique parentum blanditiis fascinati miras de eodem in animo conceperunt Ideas, quas consociatas memoria retinuit. Quotiescunque igitur de studio eligendo suscipitur deliberatio, recurrunt statim consociatae istae Ideae, mentemque impediunt, quo minus istud, quod debet, decernat. Tandem nominavi *indistractam*. Ubi enim ista affectuum motibus atque desideriis fuerit distracta, eum, quem sibi praefixit, scopum, non attinget; ut infra fusius dicetur.

§. 31. Quia vero mens nostra adeo arcte est unita corpori, ut de omnibus, quae huic vel laeta vel tristia eveniunt, participet; ad Eruditi habilitatem corporis quoque firmitas referri meretur. Scilicet mens suas operationes exerit per organa. Si igitur sortita fuerit aut debilia, aut morbis impedita; suis quoque partibus defungi nequit, ut in ebrio exacte atque crapula onusto videre datur. Eo forsan respexit Tacitus, cum dicit, *naturam Heroum mentibus quoque Heroica, h. e. excelsa assignasse domicilia, ne mentium conatus corporum debilitas retardaret*. Tandem quoque ministerio sensuum utitur mens in *acquirenda Eruditione*; hi vero si phrenesi alioque deliquio fuerint correpti, in multa animus penetrare non poterit.

§. 32. Et haec sunt, quae de *Acquisitionis Subjecto*, ejusque habilitate proferre libuit, quae quamvis ad Theologiae verae notitiam comparandam quoque sint necessaria, non tamen sufficiunt, sed Dei gratiam sunt altius evehenda atque perficienda. Id vero fusius hic persequi, nostri instituti ratio non permittit.

§. 33. *De Formâ Acquisitionis* Eruditionis nunc quoque dicendum erit. Consistit illa in *legitimâ mediiorum usurpatione, quibus acquiritur Eruditio*.

§. 34. Inter media vero eminent praeter alios, suamque dignitate praecedit, *Numinis divini invocatio, vitaeque sanctimonia*. Quod medium, ut maxime universale, ita simul magnopere necessarium est. Sive enim spectemus Eruditionem, ut vocavimus, primariam, illa sane caeteris mediis omnibus adhibitis, nobis non salutariter obtinget, nisi Spiritus S. operationem imploremus, qui lucem per sacras literas accendit, & rationem boni sterilem, pravique feracissimam irradiat: imprimis dum in propatulo est, Theologiam non in umbratili divinarum rerum notitia

verborumque cortice, sed in efficaci agnitæ veritatis exercitio, virtutisque nucleo, positam esse. Sive contemplemur Eruditionem, ut diximus, secundariam; neque hæc citra hujus medii usum verè acquiri poterit. Nam ratio sibi soli relicta rerum omnium genuinum finem aut non perspicit, aut perspectum, si alienis non suffulciatur adjumentis, assequi nequit, & insuper, clariori lumine non præeunte, ad levem dubii ventum instar folii cespitat, errorumque cassibus incidens ita sæpe constringitur, ut vel nunquam, vel difficulter eluctari valeat. Testabatur id olim Ethnicis credita naturæque lumini absurdissima πολυθεότης: conspirant hodie in assensum tot testes, quot opiniones indeque ortæ contentiones. Tandem quoque ratio in eruditionis usu mirum quantum cæca fit. Sæpe enim, qui cum subtilissimi ingenii præstantiâ stupendam doctrinam atque prudentiam conjunctam habent, eâ non raro in accelerandi sui ipsius exitii instrumentum utuntur, uti nec nostræ ætati hujus notæ exempla sunt ignota.

§. 35. Qui igitur Numinis auxilium sibi conciliat piis precibus, ab eo, qui solis naturæ viribus innixus studet, in eo differt: 1. majori pollet perspicaciâ in rebus etiam naturæ obviis; 2. sedulitatem ipsius divina semper comitatur benedictio; 3. majori circumspeditione ipsa studia dirigit, omniaque, quæ ingenii vires depascunt, diligentius evitat; 4. tandem quoque molestias in studiis passim obvias divinæ gratiæ solatio lenit, & metam præfixam excitatius urget.

§. 36. Secundum medium generali vocabulo dicitur *Industria*, quæ vero in diversas partes abit. Equidem si ad ipsa Eruditionis initia & quasi incunabula recurrimus, existimamus, ipsam olim sola *Meditatione* fuisse acquisitam. Admodum enim probabile est, Adamum rerum naturalium obtuitu raptum in admirationem de singularum naturâ investigandâ serio cogitavisse, ut vel inde patet, quod agrum coluisse dicatur. Nisi addere quoque velimus *Auscultationem*; quoniam ipse DEUS Præceptoris munere functus, ipsi & miseriam, quam lapsu incurrerat, & redemptoris adventum graviter manifestavit. Cæterum absurditatis ungvibus facile se prodant, tum nugæ Isaaci Peyrerii, qui Præadamitas somniatus, Adamum quodam Samboscer, Præceptore usum fuisse ait, tum Rabinorum commenta, quibus quidam Angelus Raziel dictus primus Adami informator audit.

§. 37. Hoc

§. 37. Hoc citra dubium est, quod Adami liberi, ab ore parentis jam dum pendere, *auscultandoque* sibi Eruditionem comparare cœperint, quam propria subinde *meditatione* atque *experientiâ* magis magisque adauxisse creduntur. Neque ambigendum est, quin in tantâ ætatis longitudine ad summam doctrinæ gloriam contenderint.

§. 38. Ex quo autem doctioribus placuit, suas meditationes literis consignare, easque, ut suæ eruditionis monumenta, posteris commendare; factum fuit, ut pro tertia industriæ parte haberetur *Librorum doctorum lectio*.

§. 39. Et hæc tria Eruditionis media hodiè adhuc obtinent, quamvis quoad applicationem variato paulisper ordine. Incipitur enim ab *Auscultatione*, dum pueri ob mentis imbecillitatem seriò meditandi operam subire nequeunt, non tamen ita, ut pueris omnis eripiatur meditandi occasio; sed ut interspergatur subinde aliquid, quod pueri solius meditationis beneficio scrutari jubentur. vid. Dissertat. Præf. de Jud. Cult. §. 15. seqq. Provecioribus paulo major meditandi incumbit necessitas, quippe qui in iis, quæ Præceptorum ore ipsis propinantur, assensum tamdiu cohibere jubentur, donec omnibus excussis circumstantiis ipsi de re propositâ firmum quoddam apud animum statuere queant. Tandem in meditationis nostræ fulcimentum *sobria librorum lectio* adhibetur, quâ nostros de re conceptus cum aliorum eruditorum placitis componimus, & in quantum sibi invicem contrariantur, non sine insigni animi delectatione comperimus.

§. 40. Ex quo haud obscure conficitur, nobilissimam industriæ partem esse *Meditationem*, quâ reconditos rerum recessus nobismet ipsis recludimus. Et sanè ea demum verè nostræ sedulitatis peculia sunt, quæ nostra reddidit meditatio; cum e contrario illi cornicis Æsopianæ fraterculi existimentur, aliisque sagacioribus risum debeant atque jocum, qui alienis induti plumis incedunt, h. e. qui ex solis commentariis sapiunt, nihilque propriæ indagationi debere volunt.

§. 41. Ne autem felici successu destituatur meditatio, in id est intendendum, ut sit *ordinata, fervida* atque *prudens*. *Ordinata* sit, ne 1) à difficilioribus & complicatis ad facilia atque simplicia procedat; 2) ne jactis nondum fundamentis ad altiora transfiliat. Qui enim in eo delinquit, ex mente *Baudii* rebus novandis quam gerendis aptior est,

& in omnis rei disquisitione perpetuo erroris metu fluctuat; 3.) ne nimiam intemperie vires infirmet, corporique morbos attrahat. Id quod apud istos fieri solet, qui statim a sumto cibo seriis meditationibus se permittunt, obliti, quod eo ipso e ventriculo calorem ad cibi concoctionem necessarium in laborantis cerebri subsidium evocent, & crudis humoribus coacervatis, spiritus infectionem concitent,

§. 42. *Fervida* sit, 1. ne justa destituatur attentione; quæ si abfuerit, fieri solet, ut mens pedem nullibi figat, sed moræ impatiens multa prætereat, plurima tantum attingat; 2. ne mox hinc mox inde rapiatur, nec interveniente leviusculo strepitu s. alio avocamento interrumpatur. Res ad vivum delineatur in voluptuoso, qui cæco amore seductus multiplices de Objecto amabili Ideas fingit, fovet, repetit, easq; sibi ita inscribit, ut, quoties in seriâ meditatione ad aliquid defertur, quod aliquali affinitate ideas in animo consociatas tangit, eæ statim evolvantur, torrentisque instar omnem meditationem confundant. Et inde evidens est, quam justè a docto quodam viro amor studiorum pestis appelletur.

§. 43. *Prudens* tandem sit, ne 1. circa res futiles, & ut Martialis vocat, difficiles nugas intenta sit; 2. ut naturæ semina sequatur; h. e. ut in studiis istis modo occupetur, quæ indoli videntur convenientissima; 3. ne Andabatarum more ubiq; habitare desideremus, sed omnia quidem leviter degustemus, in uno vero studiorum genere sic consenescamus, ut in eo præstantissimis accenseamur, quos paucitas plerumque numerabiles æquè ac commendabiles facit.

§. 44. Sed dum Meditationem extollimus, *Præceptoribus* nihil derogatum cupimus, quorum auctoritatem & necessitatem DEus ipse suffulcit. Et dum perpendimus, in studiorum stadio mille dari viarum circuitus, diverticula atque anfractus; apparet quoque, quam opus sit, ut ducem nobis adjungamus viæ callentissimum, qui, quâ semitâ nos ab ipso trita vestigia ad amissum relegere queamus, monstret.

§. 45. Hinc quoque *auscultandum* est; sed non servilem in modum, ut in Præceptorum verba juremus, omniaque illorum placita veluti oraculi in modum edita citra præviam meditationem assumamus, aut quoque semper a Præceptorum ore pendere velimus. Præceptores enim, ut vetus est adagium, non sunt viæ comites, sed viæ duces.

§. 46. Ne tamen hæc circumspectio in affectatam scrupulositatem dege-

degeneret, cautione opus est. Hæc enim ubi semel animos invaserit, infelici partu diffidentiam eniuitur, & profectus discentium sufflaminat. Nam quis attentas aures afferet Præceptori, nisi persuasus, se ab illo aliquid discere posse, cum tamen attentio primaria auscultationis virtus sit?

§. 47. Quamvis autem res, quas viva docentis vox per aurium portam discentis animo insinuat, felicius hæreant, quam si solitariâ domi lectione eas percurreret; non tamen ideo omnis *librorum lectio* est eliminanda. Equidem non ignoro, quod hæc a plurimis ad Eruditionis destructionem magis quam acquisitionem referatur, quærentibus aliis cum B. Thomasio (in Præf. ad Turf.) quod decepta publicè Scholis imperantium autoritas efficeret, ut libri insulsi juvenibus obtruderentur, sedemque dignioribus debitam invaderent; urgentibus aliis, quod tanta librorum varietas mentes distraheret atque obtunderet; illudque eo periculosius esset, quanto, qui legeret, minus ad lectionem iudicii attulisset, atque peritiæ.

§. 48. Sed ideo non omnes libri prohibitorum Catalogo sunt inferendi, quamvis id arguatur: prudentem librorum ineundum esse selectum, ne vel fucato titulo vel Autorum celebritate decepti fero & operæ & impensarum jacturam doleamus. Huic rei autem Historia sic dicta literaria commodè inservit, exquisitissimos in quâcunqve Disciplinâ libros promens,

§. 49. Cæterum sobria librorum lectio eum usum habet, ut 1) ex illis rerum nostros sensus non subeuntium aliquam notitiam petamus; 2) ut altius rem rimandi occasionem suggerant, pluribus oculis uno plus videntibus; 3) ut nos in rebus, quas vel viva vox Præceptoris vel propria meditatio nobis obtulit, suo suffragio suffulciant. Proinde valde, quamvis cum magno errantium comitatu, errant, qui inde, misis aliis, tantum erudiri volunt.

§. 50. Et quia libros non possemus ritè intelligere, nisi eas in istâ lingvâ, in quâ primum scripti sunt, legere possemus: hinc quoque linguarum cognitione nemo carere potest. Imprimis autem Hebraica atque Græca enixè desiderantur in Theologo, qui sacras literas in illis scriptas dilucida explanatione interpretari tenetur. Indecorum enim est, illum alienis videre oculis, qui aliorum oculus constitutus est, ut B. Gerhardus in Method. Studii Theologici censet,

§. 51. Et

§. 50. Et quia lingvæ Vernaculæ elegantia nobis non connascitur; quæ tamen, si lingvarum præstantia usu est æstimanda, omnium præstantissima est; clarum est, quanta animi contentione imprimis utilissimum hoc Eruditionis organon ad nostros usus sit subigendum, ut exemplis Galli præeunt, qui & in hoc ad sua commoda sat ingeniosi sunt. Et hæc quasi Media primaria sunt; paucis quoque nunc secundaria perlustrabimus.

§. 51. Inter hæc est *frequens exercitatio*, quæ in eo ponitur, ut quicquid didicerimus, alios confestim doceamus. Singula enim non Scholæ, sed vitæ, discuntur, quæ in perpetua actione degitur. Neque putandum est, quod ejusmodi exercitatio alterius tantum commodis interviat: Firmat potius egregiè partam doctrinam atque perficit: quoniam illud demum verè scire credimur, quod alteri, si non obstat, ritè communicare possumus; vid. *Perillustris Auctor Medic. Ment. p. 46. seqq.* ubi illud fusè & exactè persequitur. Neque differenda est ejusmodi exercitatio ad ætatem, in quâ publica functio eam injungit; sed adolescens paucorum annorum domi eâ uti potest, donec majori Theatro evadat dignior. Commendat hoc medium præ aliis Ringelbergius in methodo studendi p. 27. seq: *Tanti ego, inquam, inquam, hanc facultatem facio, ut malim judicium adolescentis, qui perpetuo docuisset, quam ejus, qui solitariâ domi lectione auctores optimos perlegisset. Multa sæpe perlegi, sed unius mensis intercapedo memoriam ita deleverat omnem, ut vix dum scirem, quos legissem. At quæ alios docui, ea tam mihi perspecta sunt, quam corporis membra. Horum cognitionem firmam esse, frugemque proferre amplissimam experimento comperi. Et celeb. Weisus in Elucidario Oratoris Politici sub finem non dubitat affirmare, inde plerumque fieri, ut pauperioris fortis homines, præ aliis emergerent, quia ipsis hujus medii usum commendaret apta ad persuadendum inopia.*

§. 52. Huc quoque pertinet *Experientia*, quæ nihil aliud est quam multarum rerum memoria, quas sensuum beneficio perceptas in animo ritè expendimus. Et quamvis soli Medici *Experientissimorum* titulum sibi vindicent, ea tamen veluti prudentiæ matre, (ita

Con-

Ringel-
berg Joas.
Fortius
de ratio-
ne studii
liber
v. 1. c. 1.
Jof. Anst.
Lommial.
1659
mit Jri.
non itrio
in ubi
Jan. Hül
Fortius
red. ovus
in plura

lappre

Conringius Experientiam,) nullus Eruditorum ordo citra insignem defectum caret. Theologus sane, qui poenitentiae, justificationis atque sanctificationis indolem non experiendo cognovit, vix aliis eam rite depingere poterit. Et in caeteris Disciplinis haec eo magis est necessaria, quo jucundius est suis potius quam alienis oculis rem usurpasse.

§. 53. Neque contemnenda Eruditionis vel augendae vel comparandae occasio nobis illucescit, quoties cum viris, quibus rei literariae florem inniti videmus, *Conversationis usus* exhibetur. Quis enim non facile problema quoddam formare poterit, quod ad eam Disciplinam, in qua illi excellunt, pertinet, & sic pia fraude percontari, cujus communicationem alias haud insolens Eruditis invidia denegavisset. Nam dum modestè & placidè contradicimus, dum, ut novas rationes addant, urgemus, tacite in multa nobis inpervia pertingimus. Doctum hoc Stratagema celebris commendat D. *Schuppius* de ejus fructu ipse edoctus usu.

§. 54. Et hac de hujus *Acquisitionis formâ*. Jam quae *impedimenta* ipsam acquisitionem morentur, videbimus. Ut enim in aliis quoque ad earum rerum comparationem praeruptus & arduus aditus est, quae maximâ utilitate hominum alliciunt desideria, ita quoque ad eruditionem via tot impedimentis avocatoriis strata est, ut ille, qui se paulo altius in eam immittere constituerit, unde flexuosos deviationum sinus devitet, non videat. Consultum igitur est, ut mentem contra omnes casus praemuniamus.

§. 55. Omnia vero impedimenta in duas abeunt Classes; aliis intellectum fascinantibus, aliis voluntatem corrumpentibus, illa vocantur *Præjudicia*, haec *Passiones mentis*.

§. 56. *Præjudicii* autem vox variè sumitur. Jctis notat factum, quod in pari causâ postea judicaturis exemplum ad consequentiam praebet. Philosophis verò *præjudicium* est opinio falsa, quam vel ipsi ante praevium examen nostro animo inscripsimus, vel ab aliis inscriptam caeco obsequio tuemur. Et haec significatio hujus loci est.

8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.

§. 57. Sed ex ipsâ definitione patet, quam noxia ista pestis sit, si animum paulo altius infederit. Ut autem ipsius indolem exactius noscamus, ad fontem est respiciendum, ex quo virus istud ebullit, nimirum ad *confidentiam*, & *diffidentiam* nimiam.

§. 58. Cœterum sub arboris imagine ea animo nostro insinuare possumus. Stipes vel truncus est ipsa *nimia confidentia*, quæ in duos ramos succrescit, nempe in *confidentiam nimiam erga se*, & in *confidentiam nimiam erga alios*. Illa fecunda iterum multorum furculorum mater est, & *inconsiderantiam*, *superbiam*, *præcipitantiam* & *impatientiam* gignit.

§. 59. *Inconsiderantia* impedit, quo minus rerum oblatarum veritatem serio sub animi incudem revocemus; *superbia* efficit, ut erroris quamvis solidè refutati patrocinium ex solâ pervicacia suscipiamus; *præcipitantia* in eo se exerit, ut lingua mentem præcurrat, & inepto iudicio aliis risum moveat; *impatientia* tandem est, quando laboris pertæsi omnem rei considerationem abjicimus, si intricatior ejus sensus videatur.

§. 60. Vis hujus Præjudicii in alio major, in alio minor est, prout illa in Educatione fuerit augmentata. Sic in iis maximum robur contrahit, quas intempestiva laus corrumpit.

§. 61. Alter hujus Præjudicii ramus ut vocare placuit est *nimia in alios fiducia*, quæ aliàs quoque *Auctoritatis præjudicium* appellari solet, quo occupati aliorum verbis & scriptis fidem nostram absque prævio scrutinio subscribimus. Provenit inde *credulitatis* furculus, qui vel solus sufficit ad præcludendum aditum sapientiæ solidæ. Ita de Catone Minore refert Plutarchus, eum ideo difficulter admodum didicisse, quia præjudicii hujus venenum ipsius mentem infecerat.

§. 62. Oritur hoc præjudicium sub ipsa nostrâ infantia. Ætatis enim imbecillitas ad seriam rerum contemplationem nos tum facit inidoneos. Cum igitur necesse sit, ut aliorum, quorum assiduo contubernio utimur, institutionem imploremus, illique tamen ipsi sæpe
ve-

veritatis rudes sint; fieri aliter non potest, quin multis imbuamur erroribus: præprimis, quia illorum placita, non ut probabilia, sed ut oracula ex tripode dicta, superstitione assumimus. Et in hoc subinde crescentibus annis confirmamur ab illis, qui citra suæ auctoritatis læsionem rudiorum à suis verbis dissensum tolerari non posse autumant.

§. 63. Ut igitur his præjudiciis exolvamur, in omnibus rebus, actionibus vel dictis eò annitendum est, 1. ut sobrie dubitemus, 2. attentè meditemur, 3. meditationem subinde repetamus.

§. 64. Hanc Scyllam vero evitaturi ne in transversam Charybdim ruamus, cautione circumspectâ opus est. Ab alterâ enim parte nimia & erga nos, & erga alios diffidentia conspicitur, quæ, nisi in tempore tollatur, in præfractam de re quâvis dubitandi consuetudinem desinit, & eo ipso torporem foedissimum inducit. Nam insipientis esset, veritatem quærere, quam tamen nullibi existere persuasus es.

§. 65. Verum illud præjudicium eò infrequentius est, quo longius à communi omnibus Philantia, ex quâ cætera præjudicia derivantur, recedit. Medicina ejus in eo consistit, ut firmiter nobis persuadeamus, neminem hebetis adeo fuisse, vel esse ingenii, qui non in omni doctrina saltem aliquid præstare posset.

§. 66. Impedimenta voluntatis, quæ ab aliis minus rectè præjudicia affectuum dicuntur, sunt *animi passiones*, vel, ut veteres appellabant, *perturbationes*. Sunt quæ certi motus voluntatis ab imaginatione rei, quæ sub boni vel mali specie nobis offertur, orti.

§. 67. Quamvis vero omnes affectus in homine concurrant; ad unum tamen quisquis naturâ ita proclivis est, ut ille inter cæteros quasi regis officio fungatur. Unde quoque nomen *Passionis prædominantis* sortitus est. Notum autem est, tres in hominibus conspici passiones prædominantes, avaritiam, ambitionem atque voluptatem. Hinc brevissimis demonstrare nostram erit, neminem, qui uni ex his frenum laxaverit, liberiusque indulserit, ad solidam *Eruditionis acquisitionem* pertingere posse.

§. 68. *Ambitiosos* quod attinet, fateor quidem, eos omnibus esse ad studia aptiores: cum plerumque cholericus sint, & acutissimo polleant iudicio. Verum evidens quoque est, quod nulli minus eruditione aliis sincerè profuerint, quam illi ipsi. Imo & in ipsa acquisitione tot obstacula deprehendunt, ut nec millesimus eam ritè defungatur. Nam laudis sunt avari & proinde mirè sibi placent, quando aliqua ex parte hanc aviditatem explerè queunt. Quandoque etiam aliorum adulationibus capti in labore acquiescunt, segniterque pristinum impetum remittunt, persuasi, se jam illud tenere, quod adulatorum blanditiæ illis inesse fangebant. Dum igitur ad suas laudes connivent, dum ad exorientis sapientiæ crepusculum tripudiant, quædam ad minimum ulterius progrediendi occasio elabatur. Porro in omnibus excellentis ingenii gloriam affectant; hinc tantum subtilitatum salebras lectantur, missis interim planis, ex quibus tamen plurima semper derivatur utilitas.

§. 69. *Voluptuosi* quoque, quamdiu animi lascivientis vitium non cohibent, inhabiles sunt justæ Eruditionis. Indulgent enim plerumque gulæ, comotationibus student, mirumque in modum suis cupiditatibus velificantur. Hac autem intemperie quid aliud agunt, quam quod ingenii vires studiis impendendas enervent? quod Plato innuisse videtur, dicens: *Impossibile est, ut sapientes sint, qui se bis quotidie saturant.* Deinde sunt delicati, laborum impatientes, & ad otium admodum faciles. Unde igitur vera compararetur doctrina, quæ non per ventos, ut assa columba, venit? Tandem si tractant studia, ad ea tantum pravo suo appetitu rapiuntur, in quibus plurima deprehenditur delectatio. Hinc Historiarum libros assiduis manibusvolvunt, iisque imaginationem titillant, eoque ipso iudicii reliquias, quæ jam tum in iis parvæ sunt, magis magisque suffocant.

§. 70. Tandem *Avari* inter libros quidem confident, minusque cæteris mundi irritamentis capiuntur: verum dum ad scopum incitato cursu tendunt, qui ipsis est in divitiarum acquisitione positus, vel nimis se laboribus frangunt, rudi indigestaque rerum doctarum mole coacervata, vel leviter, & ut canis è Nilo omnia tantum de-

de gustant. Et quid multis? Eruditio non umbratili rerum notitia sed virtute absolvitur. Verum virtutes non locum inveniunt, ubi vitia imperio præfunt.

§. 71. Huc à non nemine rerum domesticarum angustia refertur. Verum hæ remoræ non multi sunt valoris apud istos, quibus per ardua adituque difficilia ad summa grassari volupe magis, quam molestum est. Et cum hodie neque Patronorum munificentiam neque gratuitam Præceptorum operam jure desiderent egeni; eos haud difficulter se omnibus obstaculis expedire posse, constat, si modo, ut in proverbio est, illorum paupertas bonam mentem comitem habeat atque sororem.

§. 72. Idem fiat judicium de divitiis. Hæ quidem, si abusus accedat, facile à studiis arcent istos, quibus Eruditio nihil aliud quam opulentia instrumentum significat. Sed qui verè Sapiens esse cupit, divitias non amat, sed mavult, non in animum illas, sed in domum recipit; nec respuit possessas, sed continet, & majorem suæ virtuti subministrare materiam vult, ut Seneca de V. B. c. 21. suavissimè argutatur. Imò non contemnendo subsidio divitiarum in Eruditionis acquisitione esse solent, cum hoc imprimis seculo, ubi omnia auro venalia sunt, non desint, qui stipendio conducti omnia præmansa in os ingerant, rerumque seriarum tædium, interspersis hinc inde delitiis, levare satagant. Quo autem rei literariæ commodo, quo detrimento id fiat, judicent alii.

COROLLARIA.

An Adamus in statu Integritatis fuerit Eruditus? N.

Nulla Eruditio est vera, quæ non est practica.

Vel:

Omnis Eruditio tantum habet supervacui, quantum ab usu recedit.

Musæ prius floruerunt, quam florere cœperunt Musæ.

Nemo est, qui omnia scit, nemo, qui nihil.

Et nostro Seculo accommodanda est querela B. Seckendorffii:

C 3

Ne-

Nescio, an de progressu literaturæ gratulari magis Christiano orbi, an de nimio ejus amore & abusu veræ & simplici pietati Christianæ noxio conqueri debeamus? Adeo difficile est auream mediocritatem tueri, & vitare extrema.

Sanæ Interpretationi multum inservit vera affectuum cognitio.
Historiæ usus genuinus est, non ut veterum seriem, nomina atque ætatem sciamus, sed ut hominum actiones, virtutes & vitia notemus, hæc ad fugam, illas ad imitationem.

Ut in jure illi, cui agendi occasio deest, non potest imputari, quod non agat; ita quoque rudi omni, studendi occasione excluso non imputari potest Eruditionis absentia.

Vir bonus & civis bonus multum à se invicem differunt.

Non statim voluptuosus est, qui Sanguineus, nec ambitiosus, qui Cholericus est.

Ad errorem voluntatis non semper requiritur error Intellectus.

Heroes Literarios qui promiscuè omnibus ad imitationem proponunt, eorumque exemplo discendi ardorem accendunt, maximè errant.

Paucis est philosophandum.

Multis est philosophandum.

Eruditionis quoque adjuncta sunt peregrinationes magnis mentibus frequentes, plebejis interim, ex judicio Lipsii, domi desidentibus.

In Philosophiæ studio rectè incipitur ab Ethica, quia ille, qui se quoad animam & corpus ritè cognovit, in studiis aliis commodius progreditur.

Multis Disciplinis majus, quam par est, pretium, statui solet.

Varias difficultates incidit, qui excolit Poësin.

Nimium Poeseos studium judicii vires frangit.

In rebus intricatis suspendere judicium, erudito non est indecorum.



Ad
PATRONOS, PRÆCEPTO-
RES, BENEFACTO-
RES

Dilectissimi Respondentis

FUTUROS,
EPISTOLA
PRÆSIDIS.

Viri Optimi,

ET si validissima ea solet esse commendatio, quam quis-
que sibi sua ipse parit virtute & meritis: non tamen
improbandum est mos iste, cum testimonia vitæ ac
studiorum abiturientibus Academiae Candidatis dare
solent Præceptores. Proinde teneri non potui, quin O-
ptimi hujus Juvenis Dissertationi has quasi vias adjice-
rem, iisque, me maximè ipsi cupere, aliorumque grati-
am & amorem libentissimè conciliaturum, significarem.
Patrem, DN. MICHAELEM Krausen / *Diaconum apud
Neostadienses quondam fidelissimum*, morte præmaturâ ami-
sit, afflictæ Matris, Viduæ, piis precibus nixus DEUM
etiamnum Orphanis ad incitas redactis paternè provide-
re, vel suo exemplo didicit. Juxta Patriam primos Bene-
fa-

factores ipsi Budiffa dedit, quam Lauba æmulata est, cu-
jus per biennium, & quod excurrit, beneficiis adjutus, in
studiorum stadio curriculum confecit scholasticum, tanto
quidem cum successu, ut in academicum ingredi ab ipsi
nunc jubeatur Præceptoribus. Quæ eidem sit ingenii do-
cilitas, quæ acqvirendi Eruditionem veram cupiditas, quæ
acqviritam communicandi cum aliis promptitudo, & præ-
senti hoc specimine valedictorio clarè demonstravit, &
juvante DEO, futuris suis conatibus probabit multum cla-
rius. Excipite itaqve Ipsum benignissimè, VIRI OPTI-
MI, quos DEUS vel ideò suæ Bonitatis constituit organa,
ut vel patrocínio, vel informatione, vel saltem amore ju-
ventutem adjuvetis studiosam; excipite, rogo, hunc Ju-
venem, eo animo, quo excipi debent omnes, qui in Po-
steritatis usum videntur nati. DEUS, quicquid boni à VO-
BIS conferetur in hunc & alios, ad VOS, VESTROSQVE
non sine fœnore redire faciet. Valetè! Scrib. Laubæ
d. 29. Martii M DCC VIII.



peint

